Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De legibus disputatio - Cod. Ettenheim-Münster 336

[S.l.], [17. Jahrh.]

§ 2dus

urn:nbn:de:bsz:31-131792

Visual Library

defensio, sed vindicta, quod propria auctoritate sumere non licet: nam defensio cum moderamine incul-
patae tutelae non habet locum quando iniuria iam
plene est illata, sed tum solum, quando Adversa-
rius est vel in procinctu, vel in ipso actu inferen-
dae iniuriae constitutus. Et licet possit aliquis iniustum
aggressorem occidere, non tamen tenetur, sed potest per-
mittere se occidi, si sit in statu gratiae, et si per-
sona reipublicae non necessaria.

§. 2dus

De Bello et Duello.

Conclo 1. Bellum est dissensio hostilis,
qua una respublica contra aliam arma movet.
Supposita potestate illud indicendi, causae ius-
titia et intentionis rectitudine esse licitum
patet ex Luc. 3. et consensu SS. Patrum
et sensu totius Ecclesiae contra Manichaeos, et quosdam
Anabaptistas. Potestas vero belli indicendi est
penes Rempublicam liberam, nulli Superiori in tem-
poralibus subiectam, aut Supremum Principem,
in quem Respublica omnem suam potestatem transtulit.
Causa iusta belli est gravis iniuria Principi aut
eius subditis aut alijs iniuste illata, alia via

irreparabilis. Potest tamen bellum esse utrinque iustum formaliter, ut quod utraque pars putat, se habere Jus, non materialiter, cum reipsa non possint dari iura contraria ad idem. Intentio recta et finis honestus belli est pax, quies publica iniuste oppressorum subventio, et adeoque abesse debent omnes pravi affectus v. g. odii, avaritiae et immoderatae cupiditatis proferendi imperii etc. Ut v. milites parlares licite militent sufficit quod non habeant certitudinem, aut vehementem praesumptionem de iniustitia causae; possunt n. et debent praesumere in tali casu bellum à Principe inditum esse iustum. Tenentur è contra Principes solvere militibus iustum stipendium, uti et Duces eis dare pecunias eo fine à Principe acceptas. alias obligantur ad restitutionem etiam ante ipsos milites, si ob stipendiorum defectum spolient Subditos Principis.

Conclusio 2. In bello iusto licet interficere non tantum hostes pugnantes, et resistentes, sed etiam non resistentes si nocentes sint. et quidem etiam post victoriam, si eorum occisio videatur esse necessaria ad punitionem iniuriarum praeteritarum et futuras avertendas et ad reipublicae securitatem. Ratio est; quia iuste si-

nis sit licitus, etiam media ad illud per se ordinata sunt licita. Et licet innocentes per se et directe occidi non possint tamen ex rei natura etiam directe possunt bonis et libertate privari, quando hoc necessarium est ad finem; quia quoad haec bona subsunt Reipubl. cujus sunt pars, quae ex causa rationabili est hac ratione in suis membris puniri; quo etiam modo in repressaliis possunt bona innocentium usurpari, quando satisfactio ex bonis nocentium aliter obtineri non potest. Excipiuntur ab his bona et personae Ecclesiae innocentes.

Bona iusto bello capta si sint immobilia pertinent ad Principem, mobilia vero regulariter ita fiunt capientium, ut sint dividenda iuxta consuetudinem in uno quoque exercitu et loco receptam.

Conclusio 3. Duellum est duorum vel paucorum pugna ex condicto inita cum periculo mortis aut gravis laesionis. Omnino est illicitum, sive fiat ad virium et roboris sustentationem, sive ad recreationem, sive ad explorandam rei dubiae veritatem, sive ad vindicandam injuriam, sive ad defensionem honoris et famae. Ita communiter et nunc

omnino certa. Habentur n. in Concil. Trid. Sess. 25. c. 19. de Reform. hæc formalia: Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Et mox fudit poenas in Dnos temporales, Principes, Reges et Imperatores, qui Monomachiam sive duellum in terris suis tolerant, vel pro eo locum concedunt. Novissime damnavit etiam Alexander VII. hanc propositionem: Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Si quandocunque acceptatio duelli videatur esse licita, non erit proprie dictum duellum. Sunt duellum non est, quando duo vel plures subitò ira inflammati seipsos gladijs aut Sclopis mutuo impetunt, vulnerant, occidunt; quia non assignarunt sibi ex condicto certum locum, tempus etc.

Poenæ duellantibus decretæ civiles sunt bonorum confiscatio, exilium, aut etiam supplicium: Ecclæ vero privatio sepulturæ in loco sacro, et excommunicatio quam incurrunt non tantum ipsi pugnantes, sed etiam consulentes, permittentes spectantes etc.

industria, quod addo, quia qui ex improviso
tamen omnes fiunt spectatores duelli non incur-
runt dicta excommunicationem.

§. 3. tius

de

Abortu et oppressione prolis.

Conclo 1. Abortus est foetus ex utero
ejectio. Sive deinde foetus sit animatus, sive in-
animatus. Inanimatus dicitur, quando necdum illi
anima rationalis infusa est, quod fit in masculis
à conceptionis die fere 40. in femellis a. 60. se-
cundum Medicos. Quam opinionem sequitur Poeni-
tentiaria romana, ut habet Navarrus de Homi.
Lib. quinque Consiliorum. Tutior sententia est, in-
quit Zacchias, quod post 60. foetus pro animato ha-
bendus sit; quia fit etiam ex masculis quod tardius
40. animantur. In dubio credendum est esse marem
et praesumitur esse animatus post 40. dies. Notetur a.
abortus ulterius tribus modis considerari. 1.o Si an-
te conceptum foetum, ut nimirum conceptio impediatur,
et semen dissolvatur, sive etiam ut mulier sterilis
reddatur. 2. Post conceptum, sed ante animatum foetum,